



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Die Nativitatis Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

ferro undiq[ue] coarctasti: ne forte vel hac vel illac excideret, ut videlicet, à te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirum mater ita abortivum facere voluisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris, intuere. Undique enim egrediuntur filia Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronasti eum. Relinquens matrem adheret uxori suæ, ut sint duo in carne una, & civitate pulsus, atque levatus à terra, omnia trahit ad se, quippe qui est super omnia benedictus DEUS in sæcula, Amen.

IN DIE NATIVITATIS DOMINI:

De fontibus Salvatoris.

S E R M O I.

Grandis quidem est dilectissimi, hodierna Dominica Nativitatis solemnitatis; sed dies brevis cogit brevare sermonem. Nec mirum, si faciamus nos breve verbum, quando & Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis nosse quàm longum quàm breve fecit? *Cælum* (inquit ^a hoc Verbum) & *terram ego impleo*. Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. *A sæculo*, ait Propheta ^b, & *in sæculo tu es Deus*: & ecce factus est infans diei unius. Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus maiestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo ^c: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: ut verax inveniatur qui dicit: *Cœpit Iesus facere, & docere* ^d. Obsecro proinde & plurimum rogo fratres, non patiamini sine causa tam preciosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum, sectamini illam quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit maiestas, vermiculus infletur & intumescat.

^e Tit. 3. b
*Effusio divina
misericordie
in mysterio in-
carnationis.*

Hoc igitur est propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma DEI Patris æqualis erat, sed exinanivit maiestate & potentia, non bonitate & misericordia. Quid enim ait Apostolus? *Apparuit*, inquit ^e, *benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI*. Apparuerat antè potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordie nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Iudæis potestas in lignis atque portentis, unde & in lege sæ-
pius

pius invenies, *Ego Dominus, ego Deus.* Philosophis quoque abundantibus in sensu suo maiestas innotuit, quoniam iuxta Apostoli verba *f*, quod notum est DEI manifestum est in illis. Veruntamen & Iudæi potestate ipsa premebantur, & Philosophi scrutatores maiestatis opprimebantur à gloria. Potestas subiectionem, maiestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas cui possit homo (qui ad imaginem tuam creatus est) conformari: nam maiestatem, potestatem, sapientiam, nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Quousque angustata est misericordia tua in sola Angelorum parte, reliquam occupat iudicium cum toto pariter humano genere? Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes, terram universam condemnans, & aereas potestates. Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat à fine usq; ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. Restrictus est Domine iudicio sinus tuus, solve cingulum tuum, & veni miserationibus affluens, & superfluens charitate.

f Rom. 1. b
Deus secundò
alia attribu-
ta, eaque ter-
ribilia & ini-
mitabilia olim
sepius appa-
ruit; nunc
demum per
misericordiam.

Quid tu times ô homo, quid trepidas à facie Domini quia venit? Venit non iudicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres & imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres à facie eius? Forte enim iam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et ecce vox audita est in terra, quia dominator advenit. Quo ibis à spiritu eius, & quo à facie eius fugies? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne fortè dicas etiam nunc *h*: Vocem tuam audivi, & abscondi me: ecce infans est & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda. Aut si cui forte terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare: eripere, & non ligare. Iam adversus hostes tuos dimicat, iam superborum & sublimium colla tanquam DEI virtus & sapientia calcet.

h Divina boni-
tatis pia præ-
sumptio.

Duo sunt tibi hostes, peccatum & mors, id est, mors corporis, & animæ. Utrumque debellaturus advenit, & ab utroque salvabit te, noli timere. Et iam quidem peccatum in propria persona vicit: quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & re vera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse & occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Christo inventa est. De hinc persequitur inimicos suos, & comprehendit eos, nec convertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in conversatione sua, verbis pariter & exemplis oppugnat, sed in passione sua alligat

h Gen. 3. b

h Incarnatus
DEVS ad
profigandos
hominis ini-
micos. Pecca-
tum & Mor-
tem.

alligat illud, alligat planè fortem, & diripit vasa eius. Iam verò eodem ordine mortem quoque superat priùs in seipso, cum resurgit primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum: postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, & destruetur novissima inimica mors. Propterea enim resurgens decorem indutus est, non sicut antea nascens pannis involutus est. Propterea qui priùs sinu misericordiæ effluebat, non iudicans quemquam resurgens præcinxit se, & iustitiæ cingulo videtur quodammodo effluentem sinum misericordiæ collegisse, quoniam ex tunc præparatur ad iudicium, quod in nostra resurrectione futurum est. Nam & propterea parvulus antea venit, ut misericordiam prærogaret, & futurum in fine iudicium præcurrens, misericordia temperaret.

Licet enim parvulus ad nos venerit, non parum tamen attulit, non parum contulit nobis. Si quæris quid attulit? primo omnium attulit misericordiam, secundùm quam, teste Apostolo ⁱ, *salvos nos fecit*. Neque enim his tantum profuit, quos tunc præsens invenit; sed fons est qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis est Christus Dominus unde lavemur, sicut scriptum est ^k: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris*. Veruntamen non iste solus aquarum est usus, nec tantum sordes abluunt, sed & sitim extinguunt. *Beatus verò ait Sapiens ^l, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur*. Et post pauca: *Aqua*, inquit, *sapientie salutaris potabit illum*. Bene sapientie salutaris, quoniam sapientia carnis mors est, & sapientia mundi etiam ipsa inimica est DEO. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, quæ secundùm beati Iacobi definitionem primùm pudica, deinde pacifica est ^m. Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica. Sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia verò quæ ex Deo est, primùm pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi, ut non suam quisque faciat voluntatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei: deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel iudicio.

Tertius aquarum usus est irrigatio, quam profectò maximè necessariam habent novellæ plantationes. Alioquin aut minus proficiunt, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo devotionis aquas quisquis feminaverit bonorum operum semina, ut irrigatus fonte gratiæ bonæ conversationis hortus non arefcat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro huiusmodi Propheta ⁿ, *Et holocaustum tuum pingue fiat*. Sic & in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium eius quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum

i ad Tit. 3. b
 Quinque fontes Salvatoris.

1. Fons misericordiæ ad culpas aqua remissionis diluendas.

k Apoc. 1. b
 l Eccl. 14. c

2. Fons sapientie ad sitim aqua discretionis extinguendam.

m Iacob. 3. d

3. Fons gratiæ ad plantas bonorum operum aqua devotionis irrigandas.

n Psal. 19. a

dum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Putas inveniri poterit *quartus fons*, ut paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum paradisum denuo nobis reddendum non speramus, quomodo regnum cœlorum sperabimus? *Si terrena*, inquit ^o, *dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Nunc autem ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum, paradisum habemus multo meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradisus noster Christus Dominus est. In quo tres, quidem fontes jam invenimus, quartum quæremus. Habemus de fonte *miseri-* ¶ Ioan. 3. b
cordiæ ad diluendas culpas, aquas *remissionis*: habemus de fonte *sapientiæ* ad ¶ Quartus fons
Charitatis
ad affectiones
decoquendas.
potandam sitim nostram, aquas *discretionis*: habemus de fontæ *gratiæ* ad
irrigandas plantas bonorum operum, aquas *devotionis*; Quæramus ad de-
coquendos cibos aquas ferventes, aquas *æmulationis*. Hæ nimirum con-
diunt, & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte *charitatis*.
Unde ait Propheta ^p: *Conclauit cor meum intra me: & in meditatione mea* ¶ Psal. 38.
exardescet ignis. Alibi quoque: *Zelus inquit q, domus tuæ comedit me.* ¶ Psal. 68. b
Siquidem ex dulcedine devotionis diligens iustitiam, ex fervore æmula-
tionis odio habet iniquitatem. Et vide ne fortè de fontibus istis prædixe-
rit Esaias ^r: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Nā ut promif- ¶ Esa. 12. b
sionem hanc vitæ præsentis esse noveris, non futuræ, illud attende, quod
sequitur: *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen eius.*
Invocatio quippe præsentis temporis est, sicut scriptum est ^s; *Invoca* ¶ Psal. 80. b
me in die tribulationis.

Porrò ex his quatuor fontibus, tres quidem propriè convenire vi-
dentur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis. Nam primus qui-
dem communis est omnibus. In multis enim offendimus omnes, &
necessarium habemus misericordiæ fontem ad diluendas offensionum
sordes. Omnes, inquam ^t, peccavimus, & egemus gloria Dei. Et ¶ Rom. 3. c
prælati, & continentes, & conjugati, si dixerimus quia peccatum non
habemus, nos ipsos seducimus ^u. Quia ergo nemo mundus à sorde, ¶ 1. Ioan. 1. b
necessarius est omnibus fons misericordiæ, & pari voto debent ad hunc
fontem, Noe, Daniel, & Job properare. De cætero quidem Job maxi-
mè sapientiæ fontem quærat, quoniam ipse magis inter medios laqueos
ambulat, ita ut magnum videatur, si à malo declinat. Danieli verò cur-
rendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentiæ opera & labores
abstinentiæ devotionis gratia necesse est impinguare. Oporet enim ut nos
maximè in hilaritate omnia faciamus: quoniam hilarem datorem diligit
Deus ^x. Nam & terra nostra nequaquam fertilis est huiusmodi semi- ¶ 2. Cor. 9. b

nis, bonæ scilicet conversationis: ideoque facile exarescet, nisi crebris irrigationibus adiuvetur. Unde & in oratione Dominica huiusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Merito sanè, ne forte cadat super nos terribilis illa maledictio prophetica imprecationis: *Fiant sicut saxum tectorum quod priusquam evellatur exaruit*. Fons verò æmulationis Noe convenit specialiter, quia maximè Prælatos decet hic zelus.

Quatuor itaque fontes istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet: quintum, qui est *fons vita*, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cum diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce: propter quintum, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc quando foderunt ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus, quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus cum jam expirasset, ut in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret. Sed ecce dum loquimur de mysteriis Nativitatis, ad scrutanda repente devenimus sacramenta Dominicæ Passionis. Nec mirum tamen si quærimus in Passione quid in Nativitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco pecuniam quæ latebat, in pretium nostræ redemptionis effudit.

IN NATALI DOMINI.

De tribus præcipuis Dei operibus; & triplici commixtione.

SERMO II.

a Psal. 110. *a* **M**agna opera Domini, ait Propheta David ^a. Magna quidem opera eius, Fratres, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem Propheta ^b, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum*. Deniq; quàm magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam eius opera clamant; primæ nostræ Creationis, præsentis Redemptionis, futuræ Glorificationis. Quàm magnificata sunt in singulis opera tua Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipsa saltem opera non silemus. Triplicem, Fratres, commixtionem in his tribus considerare est cœlestis planè operis, & divinæ virtutis. Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, & inspiravit in faciem eius spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cuius nuntium sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ? Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cœlum & ter-

3. Fons Vitæ ad fideles torrente volup-
tatis potandos.

2. Psal. 41. a

a Psal. 110. a
Opera Domini magna.

b Psal. 125.
Tria præcipue, Creatio-
nis, Redem-
ptionis, &
Glorificatio-
nis.

In primo con-
iungit limum
terræ, spiritum
vitæ, corpus
animæ &c.

& terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum mundo corpus, sic enim decet eum qui constitutus est super universam huius creaturæ corporeæ molem, aliqua ei simili ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta & confœderata sunt in te caro & anima, illa plasmata, hæc inspirata.

Sed cuius interest hæc commixtio? Cui hæc unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum huius sæculi, ubi sociantur summis inferiora, qui prævalent potestatem habent, & humilioribus utuntur pro libito suo. Conculcat fortior minus fortem, ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillum. Non sic in opere tuo Deus, non sic in tua commixtione: non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam & excellentem creaturam abiectæ & inutili massæ. Quis non videat, Fratres, quantum corpori præstet anima? nunquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritatis visus & sonus vocis. Denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego. Charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris.

Anima quæ-
tum præstet
corpori.

Et quidem magna hæc conjunctio, dilectissimi, sed si stabilis permansisset. Nunc autem licet divino fuerit munita sigillo (ad imaginem quippe & similitudinem suam creavit Deus hominem) heu diruptum est sigillum, & unitas dissipata! Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine divina comparatus est miser homo jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Re-
ctum quippe fecit DEUS hominem, atque hæc similitudo eius, de quo scriptum est ^d; *Quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* ^dPsal. 91. c
Veracem quoque & justum fecit eum, sicut & ipse veritas & justitia est: nec unitas ipsa posset disiungi, dum sigilli huius integritas permaneret. Verum supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius (væ væ) fregit quod erat manu divinitatis impressum. *Eritis, inquit* ^e, *sicut Dii scientes bonum & malum.* O malevole, ô maligne, ^e Gen. 3. 2
ad quid eis huius similitudo scientiæ? Sint certè sicut Dii, recti, justi, veraces, sint sicut DEUS in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante stabit unitas illa. Jam experimur miserique quid nobis persuaserit versutia diabolicæ fraudis, Fracto

Hæc conjunctio fraude
diaboli dissipata est.

namque sigillo sequitur amarum dissidium, triste divortium. Ubi est quod dixisti nequam, *Nequaquam moriemini*? Ecce enim morimur omnes, & non est homo qui vivat, & non videat mortem.

Sed quid Domine Deus? Nunquamne reparabitur opus tuum, & qui ceciderit non adjiciet ut resurgat? Non est qui reficiat, nisi qui fecit. Itaque propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, fiducialiter agam in eo^e. Nihil siquidem proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Novam, inquit, ego facio commixturam, ubi & expressius & robustius pono sigillum; eum, qui non ad imaginem meam factus, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ, non factus sed genitus ante secula. Et ne forte timeas esse frangendum, audi Prophetam ^f: *Aruit*, inquit, *tanquam testa virtus mea*, sed talis testa, cui nec ipse malleus universæ terræ nocere ullo modo possit. Sanè cum prima ex duobus facta sit, secunda jam coniunctio fit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad Sacramentum accedere Trinitatis. *Verbum*, quod erat in principio apud Deum & Deus erat; *Anima*, quæ de nihilo creata est, & ante non erat; *Caro* de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio (qualis nulla iam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulominus ab Angelis minoratum. Hæc sunt Evangelica illa fata farinæ^a, quæ pariter fermentantur, ut sit panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superveniente igne sancti Spiritus coctus est panis iste. Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria fata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit: fide peperit, & ut ait Elizabeth ^g, *Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt ei à Domino*. Nec mireris quod fide eius mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem & carnem ipsam de eius carne suscepit. Sanè ne hoc quidem præsentis expositioni obviare potest, quod de cælestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur si cælorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.

Huius itaque vinculum unionis nulla omnino solvere poterit creatura. Siquidem nec princeps huius mundi habet in eo quicquam, nec ipse Joannes solvere dignus est corrigiam calceamenti. Quid tamen? Solvatur certè aliquatenus necesse est: alioquin quod dissolutum est, non resolidatur. Panis integer, thesaurus absconditus, sapientia occulta, quæ utilitas in his omnibus? Merito flebat Joannes ^h non inveniri qui aperiret librum,

Deus reparare volens opus suum, facit aliter in coniunctionem, uniens verbum, animam & carnem. In unitate persone.
e Plal. 11. a
f Plal. 21. d

Triplex genus potentiæ in mysterio incarnat. Domini.

a Matt. 13. e
& Luc. 13. e

g Luc. 1. c

h Apoc. 5. b

librum, & solveret signacula eius: dum enim clausus staret, nemo ex nobis divinam illam attingere sapientiam prævaleret. Aperi tu librum Agne DEI, vera mansuetudo. Fodiendas expone Judæo manus tuas & pedes tuos, ut qui in eis latet procedat thesaurus salutis, & copiosa redemptio. Frange denique esurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus, ut confracta solidas stare potes: & in ipsa confractione solus potestatem habes ponendi animam, & cum volueris, resumendi. Tua igitur miseratione solvatur aliquatenus hoc templum, sed non penitus dissolvatur. Separetur ab anima caro, sed Verbum sanè & carnis fervet incorruptionem, & animæ plenam conferat libertatem: ut sola inter mortuos liberè agat, educat vincetos de domo carceris, sedentes in tenebris, & in umbra mortis. Ponat anima sancta carnem immaculatam, sed resumendam tertia die, ut moriens mortem perimat, & vita omnium cum resurgente resurgat. Ita factum est, dilectissimi, & ita factum gaudeamus. Mors illa, mors mortua est, & regenerati sumus in spem vitæ per resurrectionem JESU Christi ex mortuis.

Jam quid futurum sit in unione tertia, quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se. Consummatio erit illa cum tradiderit Christus regnum Deo & patri: & erunt duo non jam in carne una, sed in spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro, multò magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione, media humilitas exhibetur & humilitas magna nimis: in ea verò quam expectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis (si tamen nobis) reposita glorificatio est. Quod si meminimus in prima coniunctione qua ex anima & carne compactus est homo, charitatem commendari, merito humilitas eminet in secunda, quia sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis: Porrò quod unitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omnino non est humilitati adscribere: siquidem non ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur. Non sic sanè sumus ille spiritus, qui cum esset magis bonus, ipso beneplaciti sui arbitrio accessit ad corpus incoinquinatum. Merito denique charitatem & humilitatem sequitur glorificatio, quia sine charitate nihil prodesse potest. Et nemo, nisi qui se humiliat, exaltabitur^k.

Christus voluntariè mortuus.

*1. Cor. 2. 6
Tertia conjunctio fiet in glorificatione, eritque unio Hominis cum DEO.*

& Luc. 14. d



M 3

IN

IN NATALI DOMINI.

De Loco, Tempore, & aliis Circumstantiis Nativitatis.

S E R M O III.

Duo quædam rerum genera, Fratres, in hac Nativitate Domini confidero, non solum diversa, sed & dissimilia valde. Siquidem & Puer qui nascitur, Deus est: & Mater de qua nascitur, virgo est; & partus ipse sine dolore est. Fulget in tenebris lux nova de cælo, gaudium magnum Angelus evangelizat. Laudat multitudo cælestis militiæ, datur gloria Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Curvunt pastores, inveniunt, quod ad eos dictum est verbum, nunciant aliis: quicumque audiunt, admirantur. Hæc & his similia dilectissimi, divinæ virtutis sunt, non fragilitatis humanæ. Vasa sunt aurea & argentea, quibus pro tanta solemnitate in mensa Domini etiam egenis quibusque hodie ministratur. Non est nobis tollere ista, non nobis datur aureus discus aut scyphus, sed qui in eis est cibus & potus. *Diligenter considera*, ait Sapiens ^a, *quæ tibi apponuntur*. Et ego quidem agnosco mea esse Nativitatis huius tempus & locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus & lachrymas, sed & ipsorum quibus primò annunciatur Nativitas Salvatoris, paupertatem pastorumque vigiliis. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hyeme natus est, nocte natus est Christus. Nunquid credimus casu factum, ut in tanta aeris inclementia, & in tenebris nasceretur, cuius est hyems & æstas, dies & nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, Fratres, etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat eiusdem, cuius nunc est, sapientiæ & potestatis, ut pote Dei virtus, & Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei filius (cuius in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus) elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cum esset tanta necessitas, nullam audio pelium fieri mentionem. Primus Adam pellicis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur. Non est tale iudicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Meritò proinde & carnalis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur ^b. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum.

Jag

^a Prov. 23.2
Ex circumstantiis Nativitatis, morum documenta petita.

Christus hyeme natus docet eligenda quæ carni molesta sunt,

^b 1. Cor. 3. d

In Natali Domini, Sermo III. 95

Jam verò etiam nocte voluit nasci: ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobatur ille. Quis prudentior è duobus? Cuius iudicium justius? Cuius sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat, & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cœlestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, fileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinat. Et nonne ipse est qui dicit ^c: *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius?* Quid ergo stabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Nec dum loquitur lingua, & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant. Ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus, & ætatem intelligibilem quam infantilem? O sapientia quæ de occultis traheris, ô verè incarnata & velata sapientia! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Esaiam parvulus sciens reprobare malum, & eligere bonum ^d. Malum ergò voluptas corporis, bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc eligit, & illam reprobatur puer sapiens, verbum infans. Verbum enim caro factum est, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens.

Et verè, Fratres, Verbum factum est caro, & sic habitavit in nobis. Dum esset in principio apud Deum, lucem habitabat inaccessibilem ^e, & non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit ^f? Carnalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei ^g, sed jam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est; audiat illud vel in carne. O homo, ^h carne tibi exhibetur sapientia illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi, fuge voluptatem: quia posita est mors secus introitum delectationis. Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei ⁱ. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe elamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. Plorat quippe Christus, sed nõ sicut cæteri, aut certè nõ quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, ut pote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes filios Adæ: CHRISTUS filiorum Adæ peccata deplorat; & certè pro quibus

nunc

Christus non est natus docet ostentationem fugendam.

*e Psal. 49. b
Locus Nativitatis, stabulum, damnant mundi gloriam & vanitatem.*

** d Esa. 7. e*

- i. Tim. 6. d

*f Esa. 40. d.
g i. Cor. 2. d*

*h Matt. 3. a
Christi lacryma & vagitus docent fugam voluptatum, & delectationum carnalium.*

¶ Ezech. II. d

nunc lachrymas fundit, postea fundet & sanguinem. O duritia cordis mei! Utinam Domine sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Si quidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam, inquit, à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.*

Pudorē quoque, dolorem, & timorem, vobis incidunt.

Fratres, lachrymæ Christi mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi, super me ferebatur iudicium mortis. Audivit hoc unigenitus eius, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus, pedes, flens & ejulans, quod morte damnatus esset servulus eius. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor & audio. Quid facturus sum? Adhuc ne ludam, & deludam lachrymas eius? Planè si infanus sum, & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor. Dolor & timor unde: Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei aestimo quantitatem. Nesciebam, fanus mihi videbar; & ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi: ut vulneribus meis precioso sanguinis balsamo medeatur. Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem: cui tantam à maiestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat; homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est.

Christi labores & lachryma nobis quoque ad consolationem cedunt.

Pastores vigilantes visitatione & alloquio Angelico digni habiti, divites & nobiles neglecti.

Verùm si diligenter observem præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse coniecto. Neque enim preciosissimas species frustra infumeret medicus sapiens, imò sapientia ipsa. Porro frustra infumi constat non solum si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad poenitentiam, & accendit vehementius desiderium spes concepta. Sanè accedit ad consolationem ipsa quoque quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio & allocutio Angelorum. Væ vobis divites qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem. Quàm multi enim nobiles secundum carnem, quàm multi potentes, quàm multi sapientes huius sæculi, hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes, *Gloria in excelsis DEO?* Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis civibus

In Natali Domini, Sermo IV. 97

bus labor, cuius spiritualis intentio est; quandoquidem & eos qui pro vi-
ctu corporis, corporali urgente necessitate laborant, suo dignantur allo-
quio, & alloquio tam felici. Nimirum humanam in eis agnoscunt or-
dinationem, qua constituit Deus ut in sudore vultus sui vescatur Adam
pane suo^k.

*Ad eò placent
Angelis labor
& vigilia.*

k Gen. 3. d

Obsecro vos dilectissimi, considerate diligentius quantum fecerit
DEUS pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in
vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis, & omni acceptione di-
gnus, sermo non tam oris quam operis. Putatis, Fratres, parum mihi
molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum
& sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum
ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inuti-
lem esse doleret homo pusillus, imo & nihili: quam iustius indignabi-
tur Dominus maiestatis, si tantam eius operam nostram aut duritiam aut ne-
gligentiam contingat evacuari? Avertat hoc à servulis suis, qui pro eorum
salute induere dignatus est formam servi, unigenitus Dei Patris, qui est
super omnia Deus benedictus in saecula, Amen.

*Christi labores
in hominis sa-
lute frustrari
quam mole-
stum Deo.*

IN NATALI DOMINI.

SERMO IV.

Et invenietis Infantem pannis involutum &c. Luc. 2:

Agnoscite, Fratres dilectissimi, quanta sit hodierna solemnitatis: cui
& dies brevis, & terrae angusta est latitudo, loco pariter & tempore
dilatatur. Noctem praecipuat, coelum replet ante quam terram. Nox
enim ut dies illuminata est, cum intempestae noctis hora pastores circum-
fulsit lux nova de caelo. Et ut noveritis quo in loco solemnitatis huius
ceperint gaudia celebrari quod jam Angelis erat, futurum omni populo
gaudium evangelizatur: sed confestim adest divinis personans laudibus
coelestis exercitus multitudo. Hinc est quod solennis ducitur nox ista
praeter ceteris, in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus: & his potissi-
mum in vigiliis sine ulla haesitatione credendum est, coelestes illos princi-
pes praevinire coniunctos psallentibus, in medio juvenularum tympani-
striaum. Sed quam multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quan-
ti ubique pallis parietes adornantur! Putes ad haec divertent Angeli,
& pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ovium ma-
gis apparere quam terrae regibus, quam sacerdotibus templi? Cur & ipse
Salvator, cuius est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo de-
dicat paupertatem? Aut certe, cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur
ab Angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator ob-

*Uti hic, sic
& alibi per-
stringit ni-
mium Tem-
plorum &
altarium
cultum.
videt Apolog.
ad Guilielm.*

Sermones S. Bernardi.

N

volvitur.

- Abb. Tom. IV. pag. 39. & ibidem NOTAS.* *a* Luc. 2. b
 volvitur, & ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab Angelo. Hoc, inquit *a*, vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum. In signum positi sunt panni tui Domine JESU, sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Agnosco certè, agnosco JESUM magnum Sacerdotem sordidis opertum vestibus, dum altercatur cum diabolo. Scientibus scripturas loquor, & quibus non ignota est prophetica visio *b* Zachariæ. Ubi verò exaltatum est Caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc planè mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento: exemplum dedit nobis, ut & nos eadè faciamus. Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola lineæ, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum & membra sequentur Caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, & dicat *c*: Conscidisti sacco meum, & circumdedisti me lætitia.
- † v. NOTAS.* *b* Zach. 3. c
 est prophetica visio *b* Zachariæ. Ubi verò exaltatum est Caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc planè mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento: exemplum dedit nobis, ut & nos eadè faciamus. Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola lineæ, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum & membra sequentur Caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, & dicat *c*: Conscidisti sacco meum, & circumdedisti me lætitia.
- a* Psal. 29. c
 corpus jam universum uno psallat spiritu, & dicat *c*: Conscidisti sacco meum, & circumdedisti me lætitia.
- d* Luc. 2. b
 Invenietis, inquit *d*, infantem pannis involutum, & positum in præsepio *d*. Et post pauca: Venerunt (ait Evangelista) festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Quid est quod sola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola à pastoribus inveniri? Fortè specialius commendat Angelus humilitatem: quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetit. Aut propterea certè cœlitus annunciatur humilitas, quòd hæc quasi propria virtus divinæ exhibenda sit maiestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Invenerunt ergo Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam præterdit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum, cuius laus est in Evangelio, non incongruè designatur. Sane continentiam deberi carni quis nesciat? Justitia verò virtus est quod suum est cuique tribuens, & hæc erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis, sicut ait Virgo beata: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ* *e*. Itaque qui fornicatur, peccat in corpus suum: qui iniuriosus est, in proximum: qui extollitur & inflatur, in Deum. Fornicator semetipsum dehonestat, iniuriosus molestat proximum: elatus quod in se est Deum inhonorat. *Gloriam meam*, Dominus ait *f*, alteri non dabo: & superbus, Ego, inquit, mihi eam (licet non dederis) usurpabo. Nec enim placet ei Angelica distributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus*. Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur impius planè & infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis verò Deum colit, nisi qui voluntati ei subiectus est, & sicut oculi fervorum in manibus Dominorum suorum, sic oculi cordis eius ad Dominum Deum suum?
- Humilitas in Christo nato, Continentia in Virgine, Justitia in Josepho commendatur.*
- e* Luc. 1. e
Superbus peccat in Deum.
- f* Esaiæ 42. b
Gloriam meam, Dominus ait f, alteri non dabo: & superbus, Ego, inquit, mihi eam (licet non dederis) usurpabo. Nec enim placet ei Angelica distributio, dans gloriam Deo, pacem hominibus. Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur impius planè & infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis verò Deum colit, nisi qui voluntati ei subiectus est, & sicut oculi fervorum in manibus Dominorum suorum, sic oculi cordis eius ad Dominum Deum suum?
- Ut ergo

In Natali Domini, Sermo IV. 99

Ut ergo inveniatur in nobis semper Maria, & Joseph, & Infans positus in præsepio: sobriè & iustè & piè vivamus in hoc sæculo. Propter hoc enim apparuit gratia erudiens nos & per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes ^g: Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei. Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem. Sed hic erit magnus, sicut de eo Gabriel locutus est ^h: & quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis & mansuetudinem, magnificabit postmodum & glorificabit magnus & gloriosus adveniens Iesus Christus Dominus noster.

IN NATALI DOMINI.

SERMO V.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra a.

Benedictus, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, Filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit, misit: per quem reconciliati pacem habemus ad eum, ut idem sit nobis reconciliationis huius & mediator & obfès. Non est quod vereamur, Fratres mei, sub tanto mediatore, non est quod de tam fido obside dubitemus. Sed qualis mediator est, inquires, qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri: denique infans iacet ut cæteri consueverunt? magnus planè mediator est etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt, non perfunctoriè, sed efficaciter quærrens. Infans quidem est, sed verbum infans, cuius ne ipsa quidem infantia tacet, *Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester* ^b, dicit hoc Emanuel vobiscum ^b *Esa. 47, a* Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lachrymæ, clamant panni. Clamat stabulum curando sese homini qui in latrones incidat ^c, præparari. Clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat ^d, pabulum ministrari. Clamant lachrymæ, clamant panni eiusdem ipsius cruenta jam vulnera ablui & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit; nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur filium meum*, ait Pater misericordiarum ^e. *Matth. 21.* Verum id quidem Domine, reverentur eum: sed qui? Non planè Judæi, ad quod missus: sed electi propter quos missus.

Reveremur eum nos in præsepio, reveremur in patibulo, reveremur in sepulchro. Devotè suscipimus tenerum propter nos, cruentum propter